



**S** Burckardus in Hassia natus literarum & pietatis amore Lobacensis monasterij monachus factus, ordinem S. Benedicti ingressus est. Ibi Albertum Gemblacensem postea abbatem uirum doctissimum (cuius in canone dist. 73. mentio fit) preceptorem habuit, atque eius opera magnam eruditionem acquisiuit. Itaque Vuiligisus Archiepiscopus Moguntinensis eius doctrina & pietate delectatus eum ad se uocauit, atque suae familiae praefectum constituit. Habebat Burckardus fratrem Franconem Episcopum Vuormatiensem. is cognita fratris Burckardi pietate, petijt ab Ottono, ut eius loco post mortem Episcopus constitueretur.

Id quod etiam Otto promisit. Interea cum Otto Romae esset, Franco moritur. Verum Caesar suae promissionis oblitus, cum plurimi instarent, Erphonem quendam Episcopum constituit. Sed is ex improviso post aliquot dies Romae obiit. Postea cum iterum Ottoni aliqui supplicarent, Razonem praesulem Vuormatiensem constituit. Itaque is negotijs suis Romae confectis in Germaniam tendere coepit. Verum antequam ad suam Ecclesiam peruenisset, in itinere quoque moritur. Id cum Caesar intellexisset, tum demum suae promissionis memor de hoc Burcardo cogitare coepit. Itaque domum reuersus eum ad se uocat, & Episcopum Vuormatiensem declarat, anno noningentesimo nonagesimo sexto.